ELIADIS LADISLAI PYRKERII AGRIÆ ARCHIEPISCOPI LIBROS TRES EX GERMANO...

ELIADIS

LADISLAI PYRKERII

AGRIAE ARCHIEPISCOPI

LIBROS TRES

EX GERMANO IDIOMATE

LATINIS VERSIBUS REDDIDIT

PETRUS SOLETTI OPITERGINUS



TARVISII

TYPIS PALUELLIANIS

MDCCCXXXIV.


322

INVOCATIO AD LYRAM



Tu lyra dum vesper morienti luce rubescit
Tu fidibus fulgens aureis e pariete carmen
Triste iteras. Ut nostro hæsit sub pectore! Quisnam
Exoptata diu tibi longa silentia rumpit?
Ora rigo heu lacrymis, tremefactaque lumina verto
O lyra cara tibi, atque arrectis auribus adsto
Sollicitus, num forte pio ferat aura susurro
Demissum coelo Genium, qui e sede dierum
Tristi labentum giro, et sub nube latentum,
Ad laetum me ducat iter, ubi tempora prisci
Pulchra aevi aspiciam, luctuque resolvar ab aegro.
Quale sub autumnum ut gelida bachatus ab ora
Frondiferum sylvis aquilo populatur honorem:
Venit hyems properus, nivibusque volantibus album
Infusus crinem, nudos natura per agros
Emoritur languens: sic dum rota volvitur acta
Horrifici saecli senio miserabile vulgus

Conficitur hominum propero. Tu pessima tandem
Ætas tu misero fugisti ex orbe: per auras
Effulsit radius qui lucis nuntius almae
Lenibat luctus; sed protinus ut micat ignis
Stellifera sub nocte volans, ardetque, fugitque,
Ille abiit visu. Sed jam nimiumque, diuque
Extulit effrenes elata audacia voces
Execrata Deum. Quam saepe superbia, moeror,
Desperata salus, rerum fiducia fluctu
Turbarunt vario mortalia pectora! mentemque
Officiis raptam coeli docuere caducas
Quaerere opes terrae: vilem sub pectore lucri
Adduxere sitim, studiumque ignobile amoris,
Qui soli sibi servit: Abras! ab Numine fidens
Ille sui genitor populi, populique decorus
Dux Moyses, Samuel, Thesbites, et comes olli
Fidus Eliseus, cuncti ah pro nomine Jehovae
Incensi aestu, et pro mundi infelicis amore
Deberent iterum miseras invisere terras
Æthere delapsi vastae inter lumina flammae,
Officiumque Dei, atque oblitam accendere in orbe
Virtutem rursus: Machabeae femina gentis
Deberet septem, heroum stirps inclyta, natis
Cincta latus, animisque valens descendere Olympo,
Atque hominum terrere genus, cladenque minari.
Scilicet ut monitu perculsi denique magno

Pigrum corde gelu vellint depellere, et altam
Ferre Deo mentem. Sanctae perdiscere vitae
Illius auxilio morem quo fortibus ausis
Spectatumque, piumque operam persolvere munus,
Pace animi, cunctaeque illimes criminc culpae.
O vos jam dixit, jam vos mea lingua beatos!
Quae quae dum vobis canimus dulcissima pectus
Gaudia pertentant! Tandem formidine sacra
Terrigenae concussi attollant lumina Jehovae,
Securique vias, docuit quas ipse, sequantur.
E muro descende manu lyra, dicere grandes
Docta modos, sanctisque hymnis dulcedine laetum
Misce melos, animumque mihi solare dolentem,
Et cuicumque tuos amor est cognoscere cantus.

LIBER I.



Ante specum gravibus turbatus pectora curis
Elias coeli vates secum ipse sedebat.
Sylva ad fluctisoni ripam Charitis eoam
Occulit alta specum tenebris et nocte silenti;
Cautibus et sepit praeruptis serius mons.
Jamque annus complerat iter revolutus in orbes
Saeclorum tacitos, postquam crudelis ab iram
Jezabel in tutas exul confugerat oras
Thesbites: ast illa audax altaria veri
Numinis illudit, coluitque idola Baalis.
Huic sedes nemorum, huic plures sacraverat aras
Marmoribus decoras aureis, et thure calentes
Continuo, et lecta dederat de pube ministros.
Tum famulos jugulata Dei, qui templa tuentur,
Luctumque stragemque ferens vastaverat omnes
Judaeae fines. Saevam non regius audet
Vir cohibere manu; sed missus Numine vates

Verba acer funesta viro convertit Achabo:
Non ros tellurem, pluviae non irriget ulla
Gutta, Deus donec juratas impleat iras.
Sol medio ardescit coelo: non murmurat aura
Antrum alis circum, et calefacta per aera dira
Æstu volvuntur flammae: sine crine virenti
Aret montis apex, aret contermina vallis
Graminibus late siccis, rimaque patenti
Fissus biulcat ager: languet super ardua rupis
Caprea anhela siti: catulos oblita recentes
Procumbit passim commixtis cerva capellis
Ad siccas Charitis aquas, modo spumifer amnis
Monte ruens rapidas per litora volverat undas.
Sic rata verba senis. At muto dum sedet antro
Anxius, ecce puer longe, qui tramite prono
Descendit rupis. Habitu, quo contegit artus,
Ille viatori similis per devia sylvae
Oblitum, huc illuc oculis in singula versis,
Lustrat iter, iterumque pedis vestigia pressi
Observata legit, patriae num erraverit anceps
Vasta per arva viam. Facilis declivia montis
Sunt ramis tecta aridulis et frondibus altis,
Quae presso crepitant gressu. Fert mobilis aura
Haud longe murmur. Vates tellure refixa
Lumina continuo levat, et gravis adventantem
E lustro expectat tacito. Miratus at alter

Restitit, et fari blando sic incipit ore:
O bone vir salve, placidae salve incola silvae,
Si libet, haud tanti deletur gratia facti,
Monstra iter, unde cito natalia visere possim
Moenia. Semnotis longe diversas in oris
Numinis audivi, cui Israel devovet aras,
Alti opera: huc veni fidens, magnumque vocavi
In pia vota Deum. At patriae dum litora nuper
Adpropero, sylvae via me male nota fefellit.
Ecce dies fervet medius, tenuem adprecor undam
Porge viatori lasso. Si noscere fas est,
Tu mihi mox causas memora, quo Numine in agros
Hos te pes duxit, cur solo degis in autro.
Elias olli: quo possum, nate, levamen
Undae afferre tibi? viden' ut sine murmure torrens
Sistit aquae: vada nuda diu siccata sub alveo
Immn inhiant: mala quae patimur, adverte, docebo.
Cumque domo fueris justis dic patribus asprum,
Israelis onus, qua sorte prematur iniqua;
Jeroboam postquam periurus linquit Jehovae
Delubra, idolisque manu dedit impia thura.
Tempore ab illo alii sceptrum tenuere thyranni,
Odiis invisi saevis, et crimine vitae;
At scelere ante omnes immania regnat Achabus:
Qui gnatam Æthbalis sibi lecti foedere junxit
Jezabel. Æthal erat Astartis suasor in aula

Impius: inde manu, justi maculata Phileti
Sanguine, vi potitur tyria sine jure corona.
Filia pone sequens crudi vestigia patris
Sanguinea, augustos aris contendit honores,
Quos uni Judaea solet persolvere Jehovae:
Contendit vir et ipse, minus qui lentus iniquae
Ferre potest dominae, et jussis parere superbis.
Illa imitata novo sitientem sanguine Hienam,
Per Israel mactat sanctos altaris alumnos
Ense fero: delet vatum venerata piorum
Concilia, ut penitus desint praecepta docentes
Alta Dei. Deus ecce mihi mentemque animumque
Altius inspirsos Regi objurgare jubebat
Crimina. Tum minitans dixi verba aspra scelesto,
Qui vetitas colit usque aras, qui thure vaporat:
Et subjeci oculis regum funesta priorum
Exempla, et natis, et cunctae ab origine genti
Perniciem, atque olli sententia prodita, quam jam
Jussit Jehova, fuit, nullo revocabilis ore:
Non ros tellurem, pluviae non irriget ulla
Gutta, Deus donec juratas impleat iras,
Si non horribili subjectus sponte flagello
Cum populo in lacrymas stridentia fulmina Jehovae
Rex tollat, tantoque luat pro crimine poenas.
Ergo impacatas vitavi Jezabel iras
Hic tacita convalle sedens, ubi sedulus antro

Seu veniente die seu decedente volucris
Demissus coelo certi fert munera panis,
Et levo fonte sitim; sed nunc impleta Dei est vox.
Jamque agris, silvisque altis genus omne ferarum
Omne genus pecudum, formosaque turba volucrum
Languescit moriens: latices mihi denegat omnis:
Stillam aestus bibit omnem ardens. Tot tristia passus
Quid vitam moror ingratam? Hic denique uudo
Porrectus saxo sperata morte quiescam.
Increpat hunc gravis advena: tu spem ponere?.. coeli
Auxilio tu numquam oblite? Haec ille locutus
Os sibi formosum dederat, lucemque capillis
Purpuream atque oculis divinum afflarat honorem.
Ac veluti eoa cum coeli de parte sereni
Sol roseis fulget radiis, convertimus ora
Festivis mirata modis, conspersaque dulci
Laetitiae fletu: astrorum rex aureus alto
Se librat medius coelo et toto emicat igne.
Icti oculi cessere: os sacrum concinit hymnum.
Sic pueri etherei senior pulchra ora, lacertosque
Infusos radiis, et sparsum crinibus aurum
Admirans flectit frontem, sic voce precatur.
Sed juvenis coeli: Thesbite surge, manent te
Jussa arcana Dei. Pete moenia celsa Seraptae
Sidonem versus: ferus illic imperat Aetbal:
Tres numero immites Aetbal, cum conjoge Achabus

Jezabel ense tuum divellere pectus anhelant
Immanes odio, et fuso gaudere cruore.
Tu ne cede minis, sed contra audentius ito:
Te numquam defecta Dei custodia servat.
Nomen amicitiae et sanctum sub pectore amorem
Inspirat viduae, quae, ubi Hesperus illucescit
Hospitium mensamque tibi, non cognitus ulli,
Fida parat, Domini ut nomen mirabile terris
Fulgeat, aurato veluti sol fulget in ortu.
Dixit, et elapsus abiit, seu candida somni
Effigies sub mane fugit. Mens conscia visis
Gaudet imaginibus, et dulci pascitur umbra.
Pulchra ita forma seni juvenis fugientis inhaeret
Pectore sub memori. Stat jussa facessere; et ergo
Elias baculum properaos, quem more gerebat,
Perstringit dextra, laterique humeroque sinistro
Grandem aptat tunicam: super ingerit indumentum
Duris consertum lanis et pellibus hirt's.
Jamque apicem montis superat: fluit undique sudor
Cana e fronte genis, et fila albentia barbae
Irrigat, augusto quae pectore plurima pendet.
Lassus, anhelus iter sine aquae, sine munere panis
Prosequitur durum, divinaque jussa facessit
Exultans: animis vivo sic praestat amore.
Sed jam de coelo rosea sol fronte ruebat
Occiduus: mollis volitabat ab acquore spirans

Aura: senex tandem portam stetit ante Seraptae
Advena. Iter densa caligine pulvis opacat:
Unguibus hunc agmen pecudum, cursuque frequenti
Sublevat. E pastu teneri cum matribus agni
Demissi tellure oculos rictusque redibant.
Non grex libat aquam, non graminis attigit herbam:
Deficiunt fontes: saevo ardent sydere campi.
At miseri, infaustum visu! per moenia cives
Confecti macie, junctisque ad pectora palmis
Lumina ad occasum volvebant, lumina ad ortum,
Scrutati an coelo signum consurgere nubis,
Quae tristes levet imbre animas, ac limine mortis
Restituat. Canis haud fidis latratibus aedem
Custodit memor, et domini vestigia moesto
Gannitu sequitur, oculoque in morte natanti
Concidit ante pedes: quae cuncta miserrima carnens
Et quarum pars magna fuit, flet corde propheta:
Benaje ast olli, vidua obvia venit obortis
Rubra oculos lacrymis, et fascem lecta recentem
Ramorum: hac illuc natus, cui nomina mater
Fecit Adonirami laetus cursabat, et illi
Arridens collecta viis virgulta ferebat:
Formosus vultu puer, et formosus ocellis,
Atque anima innocuus pura: spes unica matris,
Matris carus amor: Lux coeli viva refulget
Quae tollit vittas oculis mortale tegentes

Lumen, et aeterni pandit miracula Olympi.
Tum mulier signata Deo fit cognita vati,
Quem spectat conversa oculis, et pendet ab ore:
Intuitu stetit ille gravis, post ora resolvit:
Salve o Benajae mulier viduata marito,
Natus Adoniramus tecum sit sospes; at nadam
Quae reliqua est nuper vitro servata sub aedae
Exiguo, labiis pia tu concedito nostris:
Sol ardet, longinguo egu veni lassus ab agro.
Illa stupet (quamvis idolis credula in urbe
Labi audit portenta Israel, famamque prophetae)
Hic subito stirpemque ejus, nomenque referre,
Etsi nou unquam fuerit sibi notus uterque:
At puerum complexa manu properabat in sedem
Sedula ferre viro modo quas servabat adusti
Reliquias rivi. Sequitur vestigia vultu
Ridenti senior, laeto sub corde volutans
Venturam viduae sortem, quam legit olympu
Praescius, atque rogat parvi donaria panis
Furfurei, quem suppositum bona decoquat igni:
Ut levet exacti jejunia longa diei.
Illa dolens, lacrimisque genas perfusa profatur:
Quod colis attestor Numen, nam nostra Deorum
Turba aure obticuit surda, mihi deficit omnis
Heu fruges: tenuis pars vix mihi restat olivi
Quod tegit ima scyphi, et cereris vola quam capit uas

Quassa manu: hac miseram volui torrescere fronde
Pultem igni, possim ut caro cum pignore saevae
Vim tenuare famis. Post aegrae membra quieti
Deponam, optatique expectem funeris horam:
Haec flens verba dabat. Pius haec Pater addidit olli:
O mulier spem conde Deo: me pane cadentem
Sustineas: mox laeta tui cum pignore gnati
Exuriem solare. Alta de sede locutum
Est Numen: non pars olei, decrit non copia frugis
Antea quam imber aquae divino flamine missus
Gramina det campis, siccis det fontibus undas:
Haec arcana piae sunt verba anne aspera tandem.
Desinet, et laetos referet sors aurea soles.
Post vati accedit, vultum et demissa dolentem
Alloquitur: huc fama venit te quaerere Achabus
Sanguineam expirans rabiem, atque odio asper acerbo:
Insidiasque tibi moliri. Jezabel iras
Ausu succendit furiali. En fusca ruit nox:
Advena clam profugus longinqua sistis in urbe:
Sed famulae, Divine, tuae sub paupere tecto
Tu poteris, si vota audis, traducere vitam
Tutus ab insidiis, nostra et solabere curs.
Una iter incipiunt, et, venti in limina tecti,
Coellula, quae supra latitat sub nocte silenti
Sacra preci, votisque piis datur hospiti; at ille
Muro committit baculum: lanosa cubile

Pallia protendit super aptans: illa prophetae
Fert undam cyatho properans: exuberat unda
Labra tremens cyathi elucens: fronte ille reflexa
Craterem capit, ac pleno se proluit austu:
Reddidit ut cyathum, tauto et pro munere grates
Ore refert blando, mulier detergere plautas
Pulvere conspersas largo, et sudore fluenti,
Flexa genu se aptat vati: puerumque vocabat:
Huc huc, nate, senique tua cum matre verendo
Rite absterge pedes, primaque ediscito ab annis
Officium complere pium: quo te adveua risu
Aspectet bonus, et benedictum nomine reddat.
Jussu infans paret carae genitricis, et ambo
Genua inflectit humi properus, vatemque propinquo
Stans coutra vultu parvis vi poudera tollit
Magna pedum manibus, lino et detergere tentat
Sedulus albenti, patrique intendit ocellos
Intuitum miratus divum, et frontis honorem.
Olli subridet seuior, adponit auilem
In frontem pueri dextram, et sic voce precatur:
Ah possis puer ire viam, quam lumina signant
Coeli, insons: tum purpureo tibi ducet ab ortu
Sol sine uube dies, coeli et cumulabere donis:
Gausape jam tersis pedibus pia femina coellae
Exierat linea, coenae atat cura parandae:
Munera parva quidem, sed munera grata prophetae:

Illa levat tegimen quod supra imponitur, arcae,
Pulvis ubi exiguae servabat sedula frugis,
Atque albae cumulum frugis, mirabile visu!
Spectat, et undanti vitrum splendescere olivo.
Immoto stetit obtutu, mensamque, micantemque
Ignem oblita, domus scandit fastigia, et ante
Ora senis festis exultat vocibus, atque
Laeta agitat palmas, et fletu gaudia miscet.
Subridet vates, tacitoque in pectore Olympi
Dat laudem Domino. Stant escae ante ora paratae:
Mensae quisque sedent, et amor compressus edendi est
Nec coeli auxilium lābenti defuit anno.
Jamque Pater longhae per muta silentia noctis
In turri orabat summa, praesagaque volvit
Gaudia viva animo: niveis hora advolat alis,
Qua viduae sub corde fides, fideique triumphus
Augeat. Illa diu manifesto lumine fulsit,
Postquam divinus limen penetraverat augur.
Ecce puer viduae succisus germine primo,
Ceu gelido rapitur nimbo rosa nata per ortos,
Morte perit subita: quatit aeger anhelitus artus:
Jam cadit exanimis: jam parvo corpore terrae
Vita expers jacuit. Rumor noctem obstrepit atram:
Tecta fremunt lacrymis, et foemineo ululatu.
Fletum audit vates, auditque dolentia verba
Matris: suspirans oculos erga aethera tollit

Et ruit ex alto, medii qua est area tecti:
Saxo ibi accumbens loca tristia circumspexit
Ore silens. Disiecta comas, pallensque, gemensque,
Et complexa sui corpus miserabile nati
Mater adest: genua aute Senis exangue cadaver
Deponit: tum lassa animis, tum pondere lassa
Heo pueri exanimis, terrae procumbit, et ori
Os miscet, fletumque amens sine fine profudit.
Nunc tollit se agitata solo, nunc lumina volvit
Mente carens circum, in vatem nunc ora refigit
Obtutu tacito, nexisque ad pectora palmis:
Nunc alte clamat, tenui modo voce tremiscit:
Utque via ingenti verbis laxata dolore
Est tandem, maudat verba interrupta prophetae:
Quidnam in te tantum potui committere? quo tu
Crimine quo plectis viduam, non orba marito,
Sed caro orba etiam nato? quae vulnera cordi
Materoo, divine, acuis? Haec limina adibas
Ut sontis commissa animae tu vindicis aute
Numinis ora feres: ast ingens heu nimis ingens
Poena mihi. Coram te formossimus infans
Non ne stetit? non mitem animam, non lumina ocelli
Vidisti? Non verba labri dulcissima pulchri
Audieras? Non oris honor, nou gratia risus
Nota tibi? Heu noster amor, heu dulce levamen.
Funere crudeli mersus jacet! Heu sine nato

Inter ego cunctas infelicissima matres!
Haec lamenta dabat, gelidique miserrima supra
Corporis exuvias posuit caput: albaque largis
Ora manosque implet lacrymis, et pallida labra.
Tollitur at Vates contra, et gravis ore dolentem
Increpat: ergo dies, cum Numen praebuit ultro
Dona tibi, haud memoras? Mortales siccine figunt
Tempora amara animis, felicia pectore delent?
Numine num vero fidis? num grandia sentis
Æternae portenta manus? num credis Johovae
Imbelles deserta Deos? O foemina cordi
Si tibi tanta fides, coeli jam munere gaudes.
Exuvia e muta frontem levat illa, minantique
Ora invertebat vati tremefacta: loquenti
Alter in alterius convertit lumina motu.
Ast iterum nato acclinis defleverat, et mox
Ante Deum fidens palmas levat. Alta prophetae
Mens sancti exultat. Mater, mihi traddito gnatum
Nutu inquit, terrae collapsum sublevat, et, dum
Deficit illa, salit caellae fastigia pressans
Exanimem gremio dextra, ponitque cubili
Protensum, inflexoque genu, duplicesque tetendens
Ad coelum palmas precibus ferventior orat:
Magne Deus, Deus alme, dolor viduam ultimus aegram
Enecet hic? inopem quae me solata recepit
Hospitio, et donis vultu cumulavit amico?

Heu supra nati miserabile corpus ademti
Nati dulcis amor, supremam viderit horam
Infelix? Deus affer opem: datur alta potestas
Ferre tibi, dixit. Ter supra pallida membra
Se curvat pueri, exsangues ter perflat in artus
Os ori adjungens, vitalem flaminis auram,
Altum et suspiciens coelum sic voce precatur:
Tu Deus ore jubes montem dissolvier, et mons
Desinit esse: vocas austrum, et stridentibus alis
Incubat ille mari, totumque a sedibus imis
Attolit volvens: saevis tua dextera flammis
Fulminis imperitat, urbisque eversa superbac
Moenia celsa ruunt: labri tua flamina magni
Torquent astra polo, solemque per ardua coeli
Immotum tenuere: hujus sub pectore nati
Tu perfla, Omnipotens, tenuis (spiramina) vitae:
Dixerat, et subito commota per aerea lapsu,
Descendit coelo radius, ac fronte refulsit
Extincti pueri: vitali flamine membra
Informata calent: expirant pectora: vivis
Erubuere rosis malae, ceu tacta repente
Sole novo ariduli folia erubuere ligustri.
Fulgentes aperit, coeloque intendit ocellos,
Lugentique seni: hujus super alba cubilis
Indumenta sedens, e collo pendet anili
Parvis innexus manibus: complectitur ora

Blandus cara senis, repetita atque oscula jungit:
Thesbites inter pertringens brachia nati
Dulce onus ex aditis celeri pede desilit altis:
Saxa sonant scalae: mater secum ipsa sedebat
Extremo retrorsa gradu, suspiria anhelo
Corde trahens: aures inopinato murmure tendit
Anxia: genua labant: subsultant pectora vitae
Sollicito sub fine, neque ora reflectere retro
Jam moriens audet. Tum clamat nomine matrem
Voce puer: matrem resonat domus: illa relictis
Emicat e gradibus scalae, perque ossa cucurrit
Ima tremor, unaque pavor: sed ludere postquam
Ante ora inspexit natum, maternaque colla
Festantem amplecti, malisque adjungere malas,
Tum genibus deflexa pedes stetit ante tenellos
Ludentis pueri supplex, puerumque levavit
Commoti senis in faciem, et laeta sic voce loquta est:
Te viva nunc nosco fide, te Numen adoro,
O pie mortalis generis Pater: auspice sancto
Vate mihi aeternae monstras vestigia vitae.
Elias contra, o mulier, tu vera profaris
Ore: heu terrigenae quaenam sibi somnia fingunt
Irrita dum brevibus labentia tempora rident
Vitae horis! metamque putant contingere, caecisque
Erravere vias oculis. O culpa superbae
Mentis, et humanae fatum lacrimabile stirpis!

Tempore quo coeli Numen convolverat atra
Mortales sub nocte fidem concessit, in albo
Quae peplo, radiisque nitens fulgentibus illos
Unique, aeternoque, atque omnia perpendenti
Saecla Deo, rerum causa indefecta, revinxit:
Hanc sequere: alma tibi lacrymas detersit ab aegro
Corde fides, laetoque induxit gaudia risu.